





C. 13. num. 45.

1753, 5

5

P. 371

ORDINIS IVRIDICI DECANVS  
**GEORGIUS LVDOVICVS  
BOEHMER D.**

CONSILIARIVS REGIVS AVLICVS ET ANTECESSOR.

CANDIDATI PRAENOBILISSIMI

**THEODORI CHRISTIANI CLERMONT**

AQVISGRANENSIS


DISSERTATIONEM SOLENNEM

INDICIT

PRAEMISSA OBSERVATIONE

DE

**SVCCESIONE COLLATERALIVM  
OLIM NEGATA IN FEVDIS  
ECCLESIASTICIS.**



GOTTINGAE


PRELO GEORG. LVDOV. SCHVLZII, ACAD. A TYPIS.

MDCCLIII.




6.12.18

ORDINIS IURIDICI DECANVS  
 GEORGIVS LVDOVICVS  
 BOEHMER D.  
 CONSILIARIVS REGIVS AVSTRIAE ET ANTIQVARIVS  
 CANDIDATI PRAEVOBILISSIMI  
 THEODORI CHRISTIANI CERMONT  
 DISSERTATIONEM SOLENNEM  
 INDICIT  
 SVGGERIONE COLLABORAVIM  
 OMNI NEGATA IN REVDIS  
 ECCLIASTICIS



IMPED. GEORG. LUDW. BOEHMER





I.

Quae ex dominorum indulgentia primum in-  
ualescere coepit successio in feudis, cum  
*liberorum fauorem* potissimum respexit, tum ad eos-  
dem, quoad militiae agendaerant capaces, mo-  
ribus Germanorum antiquis adstricta est. Bene-  
ficium *filiis* praestitum recenset WIPPO, a) dum  
CONRADVM SALICVM haud passum esse memo-  
rat, vt eisdem parentum beneficia adimerentur. Id  
quidem vsu venire solet in officiis, facilius confe-  
rendis defuncti liberis, quam eiusdem collateralibus,  
idque et olim vsu venit in beneficiis, quae  
officiorum rationem habuerunt. Haec iuris feu-  
dalis Saxonici et Alemannici sententia fuit, feu-  
dum non nisi in vasalli filios transire, eisque desic-  
cientibus

a) WIPPO in *vida* Conradi p. 429.



cientibus redire ad dominum b). Collateralium, etiam si a maioribus vassallis descendantium, nulla fuerat successio, nisi eisdem eventuali inuestitura esset prospectum, vel indulgentia domini daret successione, redimendam ut plurimum noua praestatione, quam releuium dixerunt. Inde liberi, feudorum capaces, in iure feudali in eminentiori significato vocantur heredes feudales. Hoc inter successione secundum Ius feudale Longobardicum et *Germanicum* intercessit discrimen, ut iure Longobardico ad successione in clientelis vocarentur, qui a primo acquirente sanguinem ducebant, iure Germanico non succederent, nisi vassallorum filii. Vtriusque iuris diuersas rationes ex usu seculi XIII. explicat Henricus de Segusio, Hostiensis Cardinalis, in comment. ad decret. lib. III. rub. XX. de feud. n. 7. p. 858. *Natura successio- nis talis est, quod ascendentes in feudo non succedunt, puta pater filio; descendentes vero sic, & primo quidem filius patri et non filia; item nepos ex filio et non neptis, et sic usque in infinitum. Postea vero succedunt collaterales --- scilicet si paternum feudum; in alio enim non succedunt, nisi per pactum.* Addit mox ea, in quibus a iure Longobardico Germaniae mores recedere obseruauerat. *De consuetudine imperii non succedit, nisi filius descendens, et immo reuertitur feudum*

b) vid. *Ius Feud. Sax.* c. 6. et 27. *Ius Feud. Al.* c. 43. §. 1. Conf. diff. de inuestit. simul. euent. cap. I. §. XX.



*dum ad imperatorem, et ipse confert, cui vult. Sic videtur, quando fui in Alemannia, per proceres indicari.*

## II.

Quandoquidem adstrictioris in clientelis successione rationes a pluribus vniuersim expositae sunt: non iniucundam fore arbitror visionem de antiquo eiusdem iuris in *feudis ecclesiasticis* vsu. Namque et olim in beneficiis ab ecclesia datis nulla fuit successio, eaque perinde, vt in secularibus, ipso vsu inualuit, principio non nisi liberis defuncti vasalli indulta. Feuda Fuldensia, morte filiorum Vasalli pro veteri consuetudine adhuc reuerfa fuisse ad dominum, ex moribus XII. obseruat Schannatus *a)*. Ex ipsa bonorum ecclesiasticorum indole intelligitur, pinguiori iure vix gauisos esse ecclesiae vasallos prae vasallis dominorum secularium, cum ecclesiae interesset, ne bona, in beneficium data, successione ad agnatos producta, longiori tempore ad ecclesiam redirent. Ex antiquis inuestiturae literis difficile est, eius rei probationem suscipere, cum successione feudalis ratio in iisdem definiri rarius soleat. Heredis feudalis vtplurimum mentionem iniiciunt, quo nomine in sensu speciali, vsu iuris feudalis Saxonici firmato, filii feudorum capaces intelliguntur.

A 3

Ex-

*a)* in Client. Fuld. cap. II. §. 2.



Exemplum successione, curatius explicatae, occurrit in tabulis b), quibus Balduinus Archiepiscopus Treuirensis Henrico de Helfenstein castrum et alia bona in feudum ita largitur, vt successio semper esset penes primogenitum, eoque sine herede decedente, fratrum quidem in communione bonorum paternorum subsistentium seniori daretur, negaretur vero, si, facta bonorum paternorum *diuisione*, fratres a se inuicem essent separati. Verba sunt: *Semper primogenitus masculus in recta linea ipsius Henrici absque diuisione aliqua facienda praeficiatur ipsius castrum et succedat in eodem cum villa et appendiciis memoratis - - si vero contingeret quod possidens dictum castrum sine herede decedat, bonis suis aliis praedictis indiuisis inter fratres suos, si quos habuerit ex parte patris, antiquior dictorum fratrum succedat in dicto castrum: si vero sine herede proprii corporis, vel bonis diuisis, vt dictum est, moriatur, ad Archiepiscopum Treuirensis, qui fuerit pro tempore, castrum memoratum et ad ecclesiam Treuirensis reuertatur.*

## III.

Mota est passim fec. XII. et XIII. inter Dominos et Vasallos quaestio, vtrum agnati, a maioribus

b) de a. 1314. vid. IO. NIC. de HONTHEIM in *Hist. Treuir. diplom. tom. 21. p. 38.*





bus iam inuestitis descendentes, iure in feudis ecclesiasticis succedendi fruerentur. Nec defuisse alterutri parti videntur argumenta vel ad negatiuam ex moribus feudalibus Saxoniae et Germaniae, vel ad affirmatiuam ex iure sanguinis et ex Iuris Italici similitudine instruendam. Quaestionem ad WILHELMII Regis tribunal deductam legimus in eisdem diplomate de a. 1253. eique negatiuam probatam. a) Verba sunt. *Coram nobis pro tribunali sedentibus sententiatum exitit et communiter ab omnibus approbatum, quod nullus in Episcopali curia et Sala ac ipsarum attinentiis IUS FEVDALE, quod VOLGE vulgariter appellatur, debet vel potest habere. Vnde sub interminatione gratie nostrae districtius inhibemus, ne quis veniens contra dictam sententiam presumat assertere, se in huiusmodi Curia et Sala ac ipsorum attinentiis illud ius habere. Quod si fecerit, grauem nostrae maiestatis offensam sciat se incursum.*

§. IV.

Ex moribus feudalibus Saxoniae sententiam tulit Rex WILHELMVS, dum in feudis, quae a curiis episcopalibus dependent, iuri locum esse prohibuit, quod in vernacula *Volge* dicitur, iuri videlicet succedendi collateralium. Equidem vox *Volge*

a) Edidit illud IO. PETR. de LVDEWIG reliq. *Manuscripts, tom. XII, p. 177.*



*Volge*, vel uti latine effertur, *sequela*, subinde generatim de successione usurpatur *a*). Qui significatus generalis quamquam utramque et liberorum et collateralium successione complectatur; eundem tamen in diplomate Wilhelmino haud sequendum et vocem *Volge* de *liberorum* successione haud accipiendam esse arbitror, quod haec in feudis ecclesiasticis seculo XIII. adeo extra dubium posita fuerit, ut circa finem eiusdem seculi noua in feudis nasceretur quaestio, utrum filiae in iisdem perinde, ac filii ad successione sint admittendae, contra illas tantum decisa *b*). Itaque sententiam Wilhelminam de ea successione, quae maxime in controuersiam vocari poterat, de *collateralium* videlicet successione intelligendam esse existimo: praesertim cum *sequela* in eminenti sensu de ea accipitur in *Feud. Iure Saxonico latino tit. XXXI. §. 7. Omne feudum absque herede, h. e. filio, caret sequela*, seu eius

*a*) Hoc sensu passim in iure feud. Sax. occurrit, et euidentius in *Iur. Prouinc. Sax. lib. I. art. 56. An Gograwesop is mit Rechte nen Len noch Volge, wenne das is der Land-Lute vreye hore, dat se Gogrewen kesen*. Per *sequela* itaque in diplomate Wilhelmino non intelligenda est praestatio seruitiorum equestrium, pro qua eam accepit LVDEWIGVS in praef. ad *rom. XII. reliq.* p. 228. *Curiam et Salam episcopalem ab equestribus seruitiis immunem esse declarata existimans*. Etenim Episcopos Germaniae nexu seruitiorum

equestrium feudalium solutos esse, historiae repugnat.

*b*) Alberto Regi, pro tribunali sedenti, quaestio proposita est a *Wicboldo*, Archiepiscopo Colonienfi, *verum filia in bonis feudalibus iure hereditario suis parentibus succedere possit?* ita iudicio principum a. 1299. decisa; quod nulla filia vel mulier possit in bonis feudalibus succedere, nisi de plenaria voluntate domini feudi et consensu. vid. dipl. in LVNIGII *specul. eccl. Parr. I. Cont. p. 393.* et in WERN. THVMMER. MVT tr. *Krumfab schleust niemand aus. p. in annex. p. 33.*



cuis successio ad collaterales non extenditur. Filiis videlicet vasalli non superstitionibus, feudum non ad agnatos sed ad dominum deuoluebatur: id quod in Iur. feud. Sax. Germ. c. V. ita effertur: *Der Vater erbet ussen Sone die Gewere des Gutes mit sament dem Gute - - - Welch Mann aber des Sunes darbet, der erbet usse den Herrn die Gewere des Gutes.*

## V.

Ius illud successionis in diplomate Wilhelmino IUS FEVDALE κατ' ἔξοχὴν vocatur. Ita subinde ius feudale usurpatur pro omni iure, quod alicui in feudo competere potest. Hoc sensu accipitur formula *des Lehn-Rechts darben*, vel *nit Lehn-Recht haben* in iure feud. Sax. art. 2. & in iur. feud. Alem. art. 1. §. 4. Cum ius eorum, qui ad feudum adspirant, maxime in iure succedendi positum sit, hoc ipsum in eminenti significato vocatur *Ius feudale*. Hoc sensu occurrit in transactione inter Episcopum Bambergensem Ecbertum et Bernhardum Carinthiae Ducem de a. 1227. a) *Ipse Dux castrum idem et eadem bona accepit in feudo ab Episcopo Bambergensi taliter, ut tam filii quam filiae Ducis ipsius in eisdem bonis IUS habeant FEVDALE.* Ex his itaque intelligitur, *ius feudale* eodem sensu in diplomate Wilhelmino accipi, quo ius quod vulgariter

B

Volge

a) Apud LVNIGIVM in *specil. eccles. cons.* 11. N. XXXII. p. 30.



*Volge* dicitur, et vtrumque vocabulum conspirare in eo, quod successio videlicet collateralium negetur in feudis, quae dependent a Curia Episcopali. Curia ibidem *Sala* vocatur, a Sal Sele, veteribus villam, curtem, aulam denotante *b)*. Quo sensu veteribus salicae decimationes vocantur, *c)* quae ex praediis curtibusque curiae, Hof-gutern, in beneficium datis, penduntur domino. Bona curiae vel Salae episcopalis itaque sunt bona praelaturae incorporata, vulgo Stifftsgüter, quae et olim *dominicalia* vocantur *d)*. Quae cum frequenter in feudum largirentur: ne in iisdem *ius illud feudale* quod *Volge* vocatur, exerceretur, inhibuit Wilhelmus.

## VI.

Quae exposuimus, illustrando inseruiunt loco vexatissimo *antiquitatum Fuldensium*, quo CHRISTOPHORVS BROVVERVS *a)* abbatis *Marquardi* querelas, aduersus vasallos anno 1150 motas, recenseret, callida argumentatione iuris sui, quod *Lehenrecht* nominant, se tuentes. IOANNES PETR. *de*  
LVDE-

*b)* vid. WACHTERI gloss. tent. p. 1339.

*c)* Exempla decimarum salicarum exhibet IO. NIC. AB HONTHEIM in *hifi. Treu. dipl. tom. I. p. 288*. Idem obseruat p. 391. superesse hodiernum in *Archidiocesi Treuirensi* frequentes de-

timas, *Sel-Zehend* dictas, inde originem ducentes.

*d)* Ita vocantur in dipl. apud Gewoldum in *Handli metrop. Salisb. tom. I. p. 49. et 259*.

*a)* *Lib. III. c. XVIII. p. 266*,



LVDEWIG *b)* et IO. FRID. SCHANNATVS *c)* appellatione, *Lehenrecht*, ius feudale Longobardicum, et Commune, IO. GEORGIVS ESTOR *d)* librum vetustum de beneficiis vel particulare ius feudale Fuldense denotari existimavit. Neutri assentior; non enim de iure feudali, quoad *collectionem morum legumque feudalium* significat, sed de iure, quod sibi asserebant beneficiorum possessores, quod *sui iuris* nomine indigitatur, de iure videlicet succedendi sermo hic est, quo bona ecclesiae, a maioribus titulo beneficii inter diffidationum iniurias vi maiori impetrata, velut successionis iure sibi delata, asserebant possessores. Nexus verborum id evidenter innuit. Ait Marquardus: *Erat e regione altera et multo intolerabilior miseria. Principes diversarum regionum sumebant sibi de adiacentibus ecclesiae bonis, quantum sibi bonum videbatur, et habebant sibi quasi pro beneficio, nullo eis prohibente vel contradicente - - - totius abbatis utilitas in laicorum manu posita fuit; et si quis eis contradicere vellet abbatum, ac iudiciali lege placitum faciens iustitiam ab eis exquirere coepisset, ingeniosa et callida argumentatione iuris sui, LEHENRECHT nominant, anguis more de manibus elapsi, per anfractus sermonum sine suo suo discrimine effugie-*

*b)* in *Comm. ad Aur. bull. com.* II. p. 987.

*c)* in *Cient. Fuld. cap. III. §. 3. p. 46.*

*d)* in *Annalib. Fuld. §. 2. p.*

*fugiebant.* Dum multa abbatiae bona a laicis direpta esse eaque beneficii iure vel quasi possessa esse conqueritur; abbatibus, ista bona vindicantibus, exceptionem iuris beneficiarii, in iisdem competentis, quod *Lebenrecht* nominabant, a possessoribus oppositam esse memorat, eosdem hac *callida iuris sui argumentatione* vfos esse referens, quod quae direptione maiorum et inter diffidationum turbas acquisita, et sic, vi maiori, beneficii nexu essent impetrata et ad possessores deuoluta, eadem titulo beneficii et feudi, iure successionis delati, tuerentur. Itaque Marquardus, consiliorum suorum aduersus illa mala rationes recensens, *nulli, inquit, hominum vel ministerialium meorum quidquam, nisi quod suum est, in beneficio praestiti: ceterum si quid haberet ex inuasionem seu ex rapina de bonis ecclesiae ad manus, contradixi:* iisque verbis ea, quae iusto titulo feudali acquisita erant, ab iis distinguit, qua direpta *quasi pro beneficio* ab iisdem possidebantur.

## VII.

Ceterum adstrictior ista in feudis succedendi ratio, quae maxime ad feuda, ex bonis ecclesiae profecta, pertinere videbatur, non diu perseverauit; successione *ex iure sanguinis* ex moribus Longobardorum in his citius fere, quam in aliis feudis, *inualecente, maxime cum et frequentes al-*  
diorum

diorum in feuda oblationes melioribus vasallorum  
 conditionibus locum facerent. In feudis ecclesiasti-  
 cis oblati eodem aevo successionem non modo ex  
 iure sanguinis inualuisse, verum etiam sexui sequio-  
 ri subinde prospectum esse infinita ostendunt ex-  
 empla. A. 1273 Ditherus de Molsberg feudi, Ar-  
 chiepiscopo Treuirensi oblatus, hanc conditionem  
 impetrauerat, *a)* vt si ipsi liberi vtriusque sexus non  
 essent, proximiores ipsius heredes succederent.  
 A. 1282 Theodoricus ab Indagine Eidem Archie-  
 piscopo allodium ea lege obtulerat in feudum, vt  
 ex ipsius heredibus *proximior* succederet in feudo,  
 idque duraret *perpetualiter b)*.

Plura non persequor, cum exponendae sint  
 consilii rationes

PRAENOBILISSIMI ET DOCTISSIMI IURIVM CANDIDATI  
 THEODORI CHRISTIANI CLERMONT,  
 AQUISGRANENSIS,

qui iurisprudentiae literarumque studiis per legiti-  
 mum quinquennii tempus, quod pro seculi rationi-  
 bus fere inter exempla referendum est, cum laude  
 tractatis, virium periculum facere, studiorumque  
 profectibus Ordinis Nostri iudicio expositis, se  
*summorum in iure honorum Candidatum* praestare

B 3

ma-

*a)* Vid. Chartam apud I. NIC. AB eom. I. p. 802.  
 HONTHEIM in *bist. Treu. dipl.* *b)* *Idem l. c. p. 877.*



maluit, quam pro iis, quae ipsius sunt, modestiae vitaeque rationibus ipsos honores iam capeffere. Sed ipsum de toto vitae cursu pluribus exponentem audire iuuabit.

**L**ucem primo vidi in vrbe AQVISGRANENSI die XIII DEC. anni post R. S. MDCCXXX. Patrem habui ESAIAM CLERMONT *magnarium*, cuius memoriam tantum, quum ante annum et sex menses diem supremum viueret, pie venerari tristia fata permittunt. Matrem vero HELENAM MARGARETHAM DE HVYSSEN, ARNOLDI L. B. DE HVYSSEN *Electori PALATINO a consiliis aulae, post consulis primarii vrbis liberac ASNIDENSIS*, filiam votis meis seruauit benignam numen, et vt ad feros vsque annos incolumem seruet, precor. Quum trium nondum annorum essem, optimorum parentum cura fuit, vt praeceptoribus primatis traderer, qui me *sanctissimae religionis morum et linguarum* principiis imbuerent. Vndecim fere per annos horum industria ingenium formauerat, quum iussu parentum illustre Gymnasium ASNIDENSE peterem. Ibi per septem semestria Spectatissimi eius Directoris M. ZOFFII, per scripta sua celeberrimi publicis praelectionibus *Philosophicis Theologicis, Historicis et Philologicis* interfui, vt tamen sociam manum illi priuatim iungeret Vir suis meritis clarus eiusdem Gymnasii Prorektor HENNEMANNVS. Per vltimum vero, quem ibi transegi, annum priuatissimis *Consult. SPENERI Seren. Domus SAXO-COEVRGENSIS a camera consiliis in iure ciuili* institutionibus hand absque voluptate et fructu vsus sum. Peracto hic studiorum cursu iussit aestumatissimus parens me ad altiora progredi. Petii primo FRIDERICIANAM HALENSEM mense MAIO anni MDCCXXXVIII, et ibi ab *Exc. VRSINO*, tunc temporis Magnifico, iam vero inter coelites versante, in numerum ciuium academicorum receptus sum. Doctores ibi habui in *Logica Perill. L. B. A WOLFF* et *Celeb. MEIERVM*, cuius etiam in *Metaphysica* praelectionibus vsus sum. In *Iuris prudentia* vero *Naturali Ill. WOLFFII*, in *Physicis Exc. LANGII*, in *Historia*, quam vocat *Vniuersalem, Exc. IOACHIM* sermonibus interfui. In *Iure tandem Ciuili* duces sequutus sum *Perill. KNORRIVM* et *Exc. BECMANNVM*. Per integrum iam annum hae scientiae in Academia HALENSI curas meas occupauerant, quum *Viri Exc. BECMANNI* fratres illam Musarum sedem, vbi summo omnium cum plausu munere docendi functi erant, relinquere et se in Almam GEORGIAM AYGYSTAM conferre, decernebant. Nimum





expertus eram horum Virorum eruditionem et fauorem, vt illos praeceptores meos et patronos abire aequo animo vidissem. Quum praeterea Virorum, quibus Academia GOETTINGENSIS superbit, summorum eruditionis fama me inuitaret, statim illos sequi animo constituebam. Aduenam me civitate donauit *Exc. SEGNERVS*, qui tunc temporis fasces Academiae tenebat. Occasioni non defui, quae se hic mihi frequens obtulit, omnium, in quibus erudiri cupiebam, scientiarum principia addiscendi. In *Iuris Ciuilibus Theoria* praestantissimos Doctores habui *Ill. BOEHMERVM* et *Exc. BECMANNVM* ex fratribus seniore. In *Iure Canonico et Feudali* frequentatui itidem praelectiones *Ill. BOEHMERI* et *Exc. BECMANNI* iunioris, cuius posterioris etiam in *Criminali Iurisprudentia* institutione non absque summa voluptate vsus sum. In *Iure Publico* et eius *Historia* *Ill. SCHMAVSIVS* faces praetulit. In *Praxi Iuris*, quoad eam partem, quae principia actorum contenta exponendi continet, ducem habui *Ill. WAHLVM*, cuius in me singularis in eo exstitit beneuolentia, vt non tantum per integrum biennium hospitio domestico exceperit, verum etiam semper roganti mihi acta communicauerit. Illam vero *Praxeos* partem, quae solemnia docet in foro obseruanda, vbi causa agenda vel ditudicanda est, ita exposuit *Exc. BECMANNVS*, vt simul manum ipsi operi admouere mihi liceret, cuius etiam collegio interfui, quo *Actionum* genera duce *B. ROEHMERO* eleganter et erudite examinare solet. Haec in *Iure*. In *Historia Imp. ROM. GERM. Exc. PÜTTERVM* audiui. Interfui praelectionibus *Exc. ACHENWALLII*, in quibus *Notitia Rerumpublicarum EVROPAE* imbuat. In *Philosophicis*, nimirum *Logica*, *Metaphysica* et *Philosophia morali*, vt et in *Mathefi* Doctores habui *Exc.* qui iam academiae scepra gerit *Magnif. WEBERVM* et *Exc. BECMANNVM*. Quum tandem *CHRISTIANO* indignum iudicarem, sanctissimae religionis principis leuiter tantum tinctum esse, *Splendidissimi Academiae Cancellarii Viri Summi A MOSHEIM* sermonibus, quibus illius *Dognata* tradit, adsiduus interfui. Quinque per annos hi in duabus *Academiis* mei labores fuerunt, vt tamen non tantum ex publicis Virorum *Summorum*, *Per-illustrium*, *Illustrium*, *Excellentissimorum*, *Consultissimorum* praelectionibus hauserim, verum etiam ex *privatis* eorum sermonibus fructum vberimum capere felici liceret. Feliciter finito ita studiorum meorum academicorum cursu, non prius ab hoc illustri scientiarum emporio abire volui, quam comprobata a *Viris Per-Illustribus*, *Illustribus*, qui *Inclitum Iure-Consultorum* in hac academia *Ordinem* sistunt, praeceptoribus et fautoribus pie venerandis mea industria, *Expertus*

tus sum eos et in eo patronos, ut votis meis admittere non recusarent, et me, quod ea, qua par est obseruantia, rogaueram, ad confectum examen admitterent.

Ad examina admissus, non minus erudita textuum ex utroque iure depromptorum expositione, quam prompta ad quaesita responsione, Ordinis Nostri honorificum iudicium consecutus est, tales esse ipse in legitima scientia profectus, quales vel expectari ab honorum candidatis possunt, eique proinde summorum in utroque iure honorum obtinendorum locum futurum esse, quodcumque eosdem capessere eidem vel praesenti vel absenti placuerit. Denique ut nihil reliqui faceret eorum, quae subire oportet honorum Candidatos, futuro die XII Maii, instituta prius ad *L. I. C. de Legibus* lectione cursoria, docte elaboratam dissertationem *de Legibus priuatis in Germania obseruandis* sine praeside defendet. Quem actum, ut MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR CVM SENATV, ILLVSTRISSIMI COMITES, ILLVSTRES, GENEROSISSIMI ATQVE PRAENOBILISSIMI COMMILITONES, HOSPITES SVIS QVISQVE TITVLIS HONORATISSIMI, praesentia sua condecorare velint, obseruanter rogo. P. P. in Academia Georgia Augusta a d. XI. Maii cdo CCCLIII.



Göttingen, Diss., 1753 A-C

ULB Halle

005 350 859


3



VD 78







E. 13. num. 45.

1753, 5

5

ORDINIS IVRIDICI DECANVS  
**GEORGIUS LVDOVICVS  
BOEHMER D.**

CONSILIARIVS REGIVS AVVICVS ET ANTECESSOR.


CANDIDATI PRAENOBILISSIMI  
**THEODORI CHRISTIANI CLERMONT**  
AQUISGRANENSIS

DISSERTATIONEM SOLEMNEM

INDICIT

PRAEMISSA OBSERVATIONE  
DE

**SVCCESIONE COLLATERALIVM  
OLIM NEGATA IN FEVDIS  
ECCLESIASTICIS.**



GOTTINGAE

PRELO GEORG. LVDOV. SCHVLZII, ACAD. A TYPIS.

MDCCLIII.

